UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria VI. post Dom. Passionis. 33. In hoc sermone agitur de Consilio, Consiliariis & Consiliato. 1. Consilium est necessarium. 2. Consiliarii boni esse debent. 3. Consiliatum vel consultum debet esse ...

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

# SERMO XXXIII.

# IN FERIAM SEXTAM DOMINICÆ PASSIONIS.

*Collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium adverſus IESVM, & dicebant: Quid faciunt, quia hic homo multa ſigna facit?* Joan. II.

1\. O Quam facilè judicium hominis verum à falſo, bonum à malo, utile à nocivo diſcernendo decipitur! Logica etenim naturalis ſæpè numero fallit, & artificialis haud infrequenter non ſufficit; unde neceſſario ſequitur, vel quod animi ſuſpenſi hæreant & irreſoluti, vel quod cæco modo ſe reſolvendo, honeſtum & utile ſæpè intermittatur, ejuſque loco homo ad delectabile aggrediendum ſeſe determinet, licet id revera homini nocivum ſit & pernicioſum. Sic etenim contingit, quod dum ab ignitæ caniculæ ardoribus homo moleſtatur, ſpirantem auram captare tentat, ut refrigerium ſpiritibus animalibus adferat & recreationem, cùm tamen èconta inde potius infirmitas quædam enaſci, & mors inopinata conciliari poſſit. Eſt alius qui ob infeſtantem febrim lecto affixus, crudeliſſimo quodam ardore tantum non excoquitur, unde internus omni compaſſione dignus, ſuſpirat, & quieſcere in lectulo nequit, quia ardentem in pectore ſuo fornacem habere ſe credit, ideo totus ſitibundus arida labia fonti cuidam frigido applicare deſiderat, hancque ſatisfactionem cuivis alteri præfert beneficio, eò quod aquam illam aliquod ſibi allaturam eſſe refrigerium credat, cùm tamen poſtea contrariũ experiri cogatur, ſcilicet augeri alterationem, ipſamque febrim per nova quæ inde acceſſerunt incrementa vitam ſibi tandem eripere. Id quod ideo evenit, quia voluntas cœca eſt, & licet ab intellectu manu ducatur, hic tamen etiam nequaquam ſecurus eſt quod decipi non poſſit. Unde perſpicuè ſatis colligitur, quod licet homo à prudentiæ dictamine bene regulctur, huic tamen in operationibus ſuis facillimè cujuſdam infauſtæ conſtellationi ſubjectus ſit, maximè ſi proprium judicium operationum ſuarum primum mobile eſſe permittat. Enimverò ut huic inconvenienti congrua adhiberi medela poſſit, & homo ab omni reddatur erroris periculo ſecurus, optimum meo judicio conſilium eſſe videtur, ut homo in rebus agendis multorum requirat, & attente auſcultet ſententiam. Etenim ſi ad pondus aliquod ſuſtentandum una manus nequaquam ſufficiat, alterius manus ſubſidium implorare non dedignatur; & communiter dici ſolet: *Plus vident oculi, quàm oculus*; Tacitus quoque dicit: *Magna negotia magnis egent adjutoribus.* Unde quiſquis intelligere vult quanta ſit negotii alicujus gravitas, & quænam ad finem illius efficaciter obtinendum ſint media maximè proportionata, neceſſariò idipſum in perſonarum probatiſſimarum, magnaque experientia præditarum bilance collocare debet, talium nimirum in quorum manibus vita humana, mundanorúmque negotiorum experientia & practica conſiſtit: Nam *cùm plures plura experti ſint, quàm unus ſolus, decet ad hujuſmodi negotia alios advocare, ut per eorum conſilium poſſit eligi via melior*, ut monet Tacitus.

*Tacitus lib. 1. Annal.*

2\. Generoſiores Athletæ, cujuſmodi ſunt Philippus, Pompejus, Scipio, Coriolanus, Epaminondas, Hannibal, Xerxes, & Cyrus, ſuas ſemper aures aliorum licet ſubditorum, & minori quam ipſi rerum bellicarum experientia præditorum rationibus atque judiciis libentiſſimè adhibebant; nec immeritò, profectò enim vix eſt poſſibile, quod unus homo ſolus omnibus poſſit proſpicere occurrentibus caſibus, vel omnes ſuperare contrarietates valeat. Unde eruditus ille Ulyſſem & Diomedem ſimul in una tela depictos repræſentabat, quorum unus dexteræ ſuæ

*Andr. Alciat. Embl. 41. f. 216.*

robore plurimum valebat, alter vero parem ſibi non habebat in dandis conſiliis. Cui picturæ hanc ſubjiciebat Epigraphen; *unus nihil, duo plurimum poſſunt.* Et Homerus Agamemnonem introduxit libere confitentem, *Longe difficilius*
*Franc. ſen. de Regno & Republica.* *eſſe, rem Trojanam evertere, ſi decem Neſtores aut Vlyſſes in concilio haberet, quam ſi totidem Ajaces & Achilles fortiter dimicantes.* Etenim nimia in ſui ipſius judicium fiducia admodum eſt periculoſa, ac proinde valde nobis ſuſpectæ eſſe debent proprii judicii reſolutiones. Unde doctus
*Ægid. de Reg. Princ. l. 3. p. 2. c. 17.* ille & expertus Politicus prudentiſſimè monet, quod *Nullus debeat omnino ſibi credere, & proprio ſenſui inniti ſed debeat alios ad ſe vocare, ſciens, quod plura cognoſcere poſſunt multi, quam unus.* Principes & Phariſæi qui Hieroſolymis degebant, dubii hærebant atque ſuſpenſi, ignorantes, quid ipſis de filio Dei faciendum eſſet, quem ſtupenda quotidiè videbant patrantem miracula, ideo tandem concilium congregare, omniumque hac ſuper re judicium explorare decreverunt. *Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Verum enimvero quia conſiliarii congregati Caiphas nimirum & alii pro majori parte mali erant, mirum non eſt, ſi tandem in peſſimam cuncti reſolutionem deſcenderunt, dicentes: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* In præſenti igitur diſcurſu, de conſiliariis & conſiliato ſermonem inſtituemus, videbimus quam ſit conſilium neceſſarium & utile. Secundo quod Conſiliarii boni eſſe debeant, æquitatem ſemper & bonum publicum non vero particulare & privatum ob oculos ſtatuentes. Quod vero ad Conciliatum attinet, oſtendemus neceſſum eſſe, ut illud æquitatem ſemper & Juſtitiam reſpiciat, quia Deus deſuper nobis imminet, longeque aliter ac nos de rebus à nobis conſiliatis diſponit, certiſſimum etenim eſt, quod communi Proverbio dicitur: *Homo proponit, Deus diſponit.* Vos igitur me fructuosè & breviter de hoc propoſito diſſerere volentem, attente & ſilenter auſcultate.

3 *Collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium, &c.* Romanæ eloquentiæ Parens Conſilium
*Tull. in 2. Rhet.* hoc modo definit: *Conſilium eſt examinandarum gubernandarumque cauſarum ſubtilis animi proſpectus.* Idque præ requiritur, priuſquam de negotiis pondus & momentum in ſe habentibus deliberationes inſtituantur; nam ut idemmet
*Idem ib.* Author docet: *Deliberatio eſt ante quodlibet inceptum plena maturitatis & ſolertiæ conſideratio,*

Atque ideo, dum ad illas nos actiones accingimus quæ difficultatem vel ambiguitatem aliquam in ſe continent, neceſſario adhibendum eſt conſilium. Unde Eccleſiaſticus ait: *Fili ſine conſilio nihil facies & poſt factum non pœnitebis.* Sicuti enim oculo lumen neceſſarium eſt ad videndum, manui neceſſaria eſt vita ad operandum, pedi motus ad ambulandum, arboribus humor ad germinandum; igni calor ad calefaciendum, avi alæ & plumæ ad volandum, ita homo conſilium neceſſario prærequirit, ad providendum ſe ſuaque gubernandum. Unde antiquis valde ſolemne erat hocce proverbium: *Omnia cum conſilio*, id eſt, cave ſis, ne quicquam incipias, quod non prius in ſapientum conſilio veluti in bilance trutinatum fuerit. Et Eccleſiaſticus inter cætera ſalutaria monita, hoc etiam ſalubriter ſuggerit, dum ait: *Fili ne ſis ſapiens apud temetipſum, ſed conſilium à ſapiente ſemper inquire.* Marcus Aurelius Antoninus ad bellica vel civilia negotia ſe nunquam accingebat, quin prius cum ſenatu vel cum ſapientibus omnia ſua contuliſſet, omniumque quoad ea judicium attentè & perlibenter auſcultaſſet: *Æquius eſt ut tot amicorum ac fidelium conſiliorum ſententiæ ſubſcribam, quam ut illi ſe meæ voluntati accommodent*, atque ideo cuncti ejus conatus felici ſemper exitu coronabantur. Contrarium prorſus Xerxes ſolitus erat facere, qui omnium Aſiaticorum Primatum congreſſum quidem inſtituebat, non tamen ut eorum audiret & accepta haberet judicia; ſed potius ut cum unanimi applauſu ſuis congratularentur & acquieſcerent reſolutionibus atque decretis: *Vos in unum convocavi, ut mei conſilii vos participes facerem, ideo ſcitote, vobis magis eſſe parendum, quam ſuadendum.* Veruntamen poſtea, licet ſerius, clare animadvertit, quod quia amicus & ſectator fuerat propriæ opinionis, ſolas contexuerit chymæras, ſomniataque in aëre fabricarit palatia, ſiquidem pro mercede ab hoſte ſibi illatæ & perpeſſæ ſtragis, coactus eſt eidem concedere honorem victoriæ, fuitque in eo verificata illa Plauti ſententia: *Nemo ſolus ſapit*; nec non & illud ſolemne Sophoclis dictum: *ſibi placere infelix eſt inſania.* Nam ut alius quidam prudenter notavit.

*Conſilio quicunque ſuo ſapit, haud ſapit ille,*
*Conſilio alterius qui ſapit, ille ſapit.*

Abeat itaque Cæſar, & Conſilium aſpernetur Spurinæ, qui ob prognoſticum Cæſari factum

quod

quod ultra *Kalendas Martii non viveret*, ei ut ſignificante proſpiceret, ſuaſerat, quem cum Cæſar fideles monentem derideret, imo ſibi ſenatum ingredienti obvium hoc dicterio notaret: *Nonne Kalendæ Martii advenere?* Sputina eidem reſpondit: *Sed nondum præteriere.* Unde paulò poſt per manum Bruti & Caſſii violenta & funeſta mors ei accidit. Alexander quoque Magnus vitam ſuam in florida 34. annorum ætate per violentam ex propinato à Barbaris veneno ſibi illatam mortem nequaquam terminaſſet, ſi Nearchi à Chaldæis ad eum miſſi conſilium auſcultare dignatus fuiſſet: *Cum conſilium ſprevisset, paucorum dierum curriculo in medio victoriarum curſu, veneno ſublatus eſt.* Sic quoque contemptus conſiliorum quæ Roboamo à Senioribus & ſapientibus ſuggeſta fuerant, cauſa unica extitit, cur idem ille Roboam filius Salomonis Regnum perdiderit: *Seniorum & ſaniorum conſilia neglexit.*

4. Zeuxes formoſiſſimæ Helenæ effigiem delineaturus, ſuum prius à famoſiſſimis & pulcherrimis totius Græciæ puellarum effigiebus deſumpſit conſilium. Themiſtocles Rempublicam non ſolum ingenio & viribus, ſed etiam conſilio adaugeri aſſeruit. Pericles actionum ſuarum moderamen ab Anaxagoræ conſilio deſumebat, Dionyſius utebatur conſilio Platonis, Alexander Ariſtotelis, Antigonus Zenonis Stoici, Athenienſis Demoſthenis. Demetrius Phalareus Ptolemæum Regem exhortabatur, ut bonam ſibi eorum librorum proviſionem faceret, qui de Regimine tractarent, eoſdemque omni cum diligentia evolveret, ut ab iiſdem illa accipere conſilia poſſet, quæ nullus ei amicorum ſuggerere præſumeret. Romulus poſt ædificatam Romam centum ſibi ſapientes delegit, *quorum conſilio ageret.* Alexander Severus nullam promulgare legem ſolitus erat, quam non prius cũ aſſiſtentibus ſibi conſultoribus contuliſſet. Antonius Pius gloriari ſolebat, quod actiones ſuas multorum conſiliis ſuffulciret. *Æquius eſt, ut ego tot taliumque amicorum conſilia ſequar, quam ut tot taleſque amici eam unius ſequantur voluntatem.* Innocentius Papa VIII. ad Pontificatus ſui felicius regimen duodecim elegit conſiliarios ſine quibus nihil penitus ſtatuebat: *Sine quorum conſilio nihil prorſus decernebat.* Sicque illi ſe præcepto conformavit, quod Eruditus ille omnibus Principibus ſuggeſſit, dum ait: *Nihil faciant temerè Principes, doctos ſapienteſque viros conſiliis adhibeant.*

5. Omnibus illis qui juxta ſuum privatum judicium res ſuas gubernant, accidere ſolet, quod Paulus Manutius jumento Horatii accidiſſe refert, quod viam, qua eundem eſſet, ignorans, & viæ duci ſuo ſive agaſoni obedire detrectans, in profundiſſimam ſeſe foveam infeliciter præcipitavit: *Dictu mirum non admittere conſilium; hi aſinum illum Horatianum referunt, qui cum nec viam noſſet, nec duci pareret, in rupem præceps datus eſt.* Ac proinde mirum non eſt, quod nonnulli magnates ipſarummet etiam fœminarum conſilia grata habere non fuerint dedignati. Seſoſtrates enim Rex Ægyptiorum conjugis ſuæ conſiliis acquieſcens, ab imminenti quodam periculo univerſam ſuam ſalvavit familiam. Ataulphus quoque Gothorum Rex, ſi Paulo Oroſio, & Paulo Diacono credimus Placidæ conjugis ſuæ conſilium admiſit, & à propoſita ſibi urbis Romanæ devaſtatione deſtitit. Clodovæus item Rex Franciæ per conſilia Clothildis filiæ Regis Burgundiæ inductus eſt ut in Catholicæ fidei ſacra dogmata perlibenter conſentiret, ut refert Gaguinus. Cum Heſinius Magarenſis ab Apollinis oraculo ſcire deſideraret, qualiter ſibi agendum eſſet, ut negotia ſua feliciter ſuccederent, hoc ab oraculo reſponſum retulit: *Refer ad multos, ſi gerere quicquid feliciter volis.* Græci conſilia cum multis agitata adeo neceſſaria eſſe duxerunt, ut ob id *Democratiæ* regimen adinvenerint, quæ nihil aliud innuit, quam quod *cum pluribus conſultandum ſit.* Et tametſi nonnemo inveniri nonnunquam poſſit, qui in negotiis maximè arduis ſe à ſemetipſo determinare poſſit, nihilominus imprudentiæ ſemper argui meretur, quiſquis à proprio ſe judicio ſeduci permittit: *Licet homo à ſeipſo poſſit invenire vias, & modos ad aliquid peragendum, attamen imprudens eſt, qui ſoli ſuo capiti innititur, & renuit aliorum audire ſententias:* ſcribit omnibus gubernatoribus moniti loco Eruditus ille

6. Verum enimvero Hiſtoriæ ſacræ pro millenis aliis prophanis, quas adducere vobis poſſem, valeant. Etenim in hujus vaſtæ mundi molis admirabili ædificio Deus in creatione cœli & terræ diverſimode ſe quàm in formatione hominis habuit. Dum enim Cælum, Solem, Lunam, ſtellas, terram, mare, piſces arbores, volatilia, quadrupedia & alia creavit, ſolam hujus verbi *Fiat* virtutem & potentiam ſimpliciter adhibuit, dicendo: *Fiat Firmamentum: Fiat Lux: Fiant Luminaria, & factum eſt ita.* Poſtea vero ſubjungit: *Producat terra herbam virentem*; & ecce mox

*de Opt. Reip ſtat. ſ. 10. co. 1.*

*Paul. Manut. in Adag.*

*Barthol. Caſſan. p. 2. Conſid. 10. Catal. glor. mundi*

*Oroſ. c. 132. & D. Diac. lib. 15. de geſtis Ro.*

*Gaguin. lib. 1. c. 8. de geſtis Franc.*

*Pier. Valer.*

*Laur. Scalab. in moral. de Paſſione Dom. c. 1. §. 1.*

*Ægid. in Polit. de Regim. Princ. p. 2. l. 3. c. 17.*

*Gen. 1.*

terram viridi gramine & germine veſtitam, & floribus adornatam: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram*; & ſubitò mare factum eſt piſcibus refertiſſimum, aerque volatilibus frequentatur: *Eſt factum eſt ita.* In productione hominis autem, ordo & ſtylus loquendi mutatur, & loco Ly (*fiat*) adhibetur Ly (*faciamus*) dicendo: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Porro differentia hæc à multis expoſitoribus, præcipuè vero à S. Gregorio Nyſſeno, & S. Baſilio attingitur, dum ajunt: *O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione præcedente, eodemque pacto cœlum, quibus duobus nihil eſſe par creaturis in rebus poteſt.* Et poſtea ſubjungit: *Æther, ſidera, interjectus inter hæc & nos aer, mare, terra, animalia, plantæ, omnia uno Dei verbo in ortum producta ſunt*, & ad ſolam hominis formationem modo quodam particulari ſeſe applicat: *Solius ad hominis fabricationem creator ille univerſitatis rerum, quadam cum conſideratione accedit.* Id quod Sanctus Baſilius quoque admirans, ita loquitur: *Mare & pelagus immenſum præcepto ad eſſe producta ſunt; piſcium genera omnigena juſſu facta ſunt; feræ & jumenta, & volatilia, dixit & facta ſunt: Hic nondum eſt homo, & conſilium fit de homine.* Num igitur Deus hominem creando conſilio indiget? aut in ſuis eſt operationibus anceps & ambiguus, adeo ut modum meliorem faciendi internoſcere nequeat? Conſiliari ad eum pertinet, qui de bene operando minimè ſecurus, ne erret aut impingat, graviter formidat. Cum igitur Deus hiſce periculis minimè ſit ſubjectus, cur conſiderando de rebus agendis deliberat? *Ideo conſiliamur* (inquit Politicus) *ut regulemur in actionibus noſtris.* Cum igitur Deus ut Deus ex ſua natura nullas poſſit elicere actiones, quæ non ſint perfectæ, cum ipſe ſit ipſiſſima in abſtracto perfectio, nec poſſint non eſſe regulatiſſimæ, cum ſit ipſiſſima regula, nullo utique conſilio opus habebit, ecquis hac de re dubitat? Enimvero nolo vos diutius tenere ſuſpenſos, atque ideo dico, quod Deus trinus in perſonis in productione hominis conſilietur: *conſilium fit de homine*, dicendo, *faciamus*, & *non fiat*, ut homo inde diſcat, quod quantumvis homo prudens ſit & regulatus, nihilominus opus habeat conſilio, ideoque in ſuis operationibus aliorum quoque judicia audire & requirere debeat, inquit quidam Modernus: *Ideo Deus conſilium præmiſit, dum hominem effingeret, ut eum doceat, aliorum conſilia non detrectare.*

*Gen. 1.*

*D. Greg. Nyſſ. ſtrom. de opif. c. 3.*

*D. Baſilius hom. 10. de hominis conſtruct.*

*Ægid. de Regim. Prin p. 2. l. 3. c. 16.*

*Ioan. Pinnat. l. 4. c. 37. Ethol. 924. n. 8.*

7. Valde myſtica eſt viſio illa quam Sanctus Joannes refert ſe eсſtatico contemplationis oculo fuiſſe contemplatum. Dicit enim ſe Deum in throno Majeſtatis ſuæ obſervaſſe, atque ad ejus latera per circuitum viginti quatuor ſeniores ſedentes vidiſſe. *Et ſuper thronos, vel in circuitu ſolii viginti quatuor ſeniores ſedentes.* Sanctus Thomas quærit hoc loco, qualeſnam hi ſeniores fuerint, & quodnam fuerit eorum officium, & dicit, quod erant *Seniores per prudentiam, & ſedentes per juſtitiam.* Porro quando Deus princeps univerſi in aula ſive curia cæleſti in Throno magnifico reſidentiæ ſuæ conſidet, maximi momenti & ponderis negotia determinaturus, illa primo cum ſapientiſſimorum conſiliariorum ſuorum prudentia confert, & conſiliatur, non quidem quaſi neſcius ſit, quid facere debeat, ſed ut hinc magnates documentum accipiant, quod homines prudentes valde & circumſpectos ſibi aſſidentes habere debeant, quibuſcum gravia negotia ſua conferre & omnium opinionibus & judiciis auditis, id quod melius factu futurum erit eligere, eique ſe conformare poſſint: *Ut doceret quod in excelſo faſtigio collocati, à latere ſemper habeant viros conſulentes, cum quibus omnia ad regimen ſpectantia conferant.*

8. Solebant olim in populo Moyſis regimini ſubjecto nonnunquam aliquæ ſuboriri difficultates, ex quibus in gente Iſraelitica magnæ naſci conturbationes poterant; Quibus ut Moyſes omnem intercluderet aditum, omnibuſque ejuſmodi inconvenientiis mederetur, à diluculo matutino uſque ad veſperum pro tribunali ſedens ſingulorum difficultates & querelas aſſiduè auſcultabat: *Sedit Moyſes, ut judicaret populum.* Jethro autem ſocer illius, qui generi ſui utpote amoris & promotoris pacis prudentiam qua gentium animos componere ſatagebat, laudare debuerat, eundem potius reprehendebat, tanquam virum modi gubernandi omnino expertem, quique tempus pariter & operam perderet: *Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris tu, & populus iſte, qui tecum eſt.* Etenim hanc Moyſi irrogatam reprehenſionem vehementer obſtupeſco, tum quia imaginari mihi nequeo, quamnam Jethro occaſionem habuerit generum ſuum velut hominem ignorantem arguendi & reprehendendi; tum denique quia neſcio quanam in re Moyſes defecerit; an forte quia ſubditorum lamenta non ſatis manſuetè auſcultarit? aut quia in decidendis cauſis, & in decernendo unicuique jus ſuum, aliqua

quo fuerit paſſione motus? Nequaquam, Moyſes enim vir manſuetiſſimus, integerrimus, & juſtus erat. Unde igitur Jethro motus eſt ut diceret: *Non bonam rem facis, & ſtulto labore conſumeris?* Exiſtimo Moyſen hanc reprehenſionem promeruiſſe, eo quod in ſuo tribunali non ſederit ad eum modum, quo Deus à Joanne viſus eſt ſedens inter ſeniores, ut ſuperius diximus, ſed ſolus & ſine adhibitis conſiliariis, quibuſcum cauſas ſubditorum eorumque momenta conferre potuiſſet. *Cur ſolus ſedes?* Jethro igitur Moyſis ſocero diſplicebat, hoc à genero ſuo juxta proprium cerebrum, & ex propria privataque opinione exercitum judicium: *Non bonam rem facis & ſtulto labore conſumeris.* Porrò hanc ipſius Jethro intentionem fuiſſe, ex doctrina ſancti Joannis Chryſoſtomi expreſſe deducitur; dicit enim ſanctus hic Pater: *Etiamſi perfectus ſis, opus eſt tibi conſiliario, conſiliariis omnes opus habent; Multa enim ſunt, quæ etiam magni & admirabiles viri ignorant.*

9. Iſaias propheta de Filio Dei pro ſui Incarnatione in hunc mundum deſcendente loquens, Spiritum Sanctum ſuper eum requiem ſuam habiturum, eúmque cunctis donis ſuis adimpletum eſſe prædicit: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini:* Et quod Dei filius omnia jam recenſita dona à Spiritu ſancto cœlitus acceperit, contra hoc nihil habeo, quod opponam, hæ namque prærogativæ tantæ adeoque infinitæ perſonæ ex omni merito debebantur, at vero capere nequeo, quod inſuper timore plenus fuiſſe dicatur; quænam enim erat timoris iſtius cauſa? *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* Sed quid illi opus erat timere? Num forte formidabat Dæmones? ſed nunquid hi ad ſolam nominis ſui pronuntiationem contremiſcere incipiunt? Num forte ſibi ab Angelis metuebat? ſed nunquid hi genuflexi ipſum adorant? An forte homines, elementa, vel alias creaturas timebat? at vero nunquid & hæ ipſum tanquam Dominum univerſalem venerantur? An forte timet, ne Pater ſuus æternus ei iraſcatur? Minime; nunquid enim hic ipſum filium ſuum dilectum appellat, in quo illum ſibi complacuiſſe iteratis vicibus publice eſt proteſtatus? Quamnam igitur habet timendi occaſionem is, qui plenus eſt fortitudine, atque omnis doctrinæ, pietatis, intellectus, & conſilii locupletiſſimus? utique hunc timorem filius Dei in ſe habuiſſe dicitur pro inſtructione magnatum, qui omnino ſibi perſuaſum habere debent, quod non obſtante quod docti ſint, magnaque experientia præditi, aut idoneum ad ſuggerendum aliis ſana conſilia intellectum habeant, ſibi tamen de conſilio proprio nimium confidere, propriæque ſententiæ nimis pertinaciter minimè inſiſtere ſed potius timere ſemper debeant, ne ſine plurium audito judicio graviter errent: *Docemur nempe, quò altior quiſque eſt, eò minus ſuis fidere viribus, ſuo acquieſcere judicio.* Enimvero quidnam ſapientem dicere voluiſſe exiſtimatis, quando ſapientiam loquentem, locumque in quo habitet indicantem introducit? Audite: *Ego ſapientia habito*, ubi? Num forte in Athenarum Areopago? vel inter doctiſſimos totius Græciæ ſapientes? Nequaquam, ſed *In conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Quidnam ſignificat, quod ſapientia in conſilio habitet? Explicatur idipſum clarius paulò infra, dicendo: *Qui ſapiens eſt, audit conſilia.* Sapientiam igitur in conſilio habitare, idem eſt, ac ſi diceret, ſapientis eſt conſiliari cum aliis, vel propria ſapientum actio eſt multorum audire ſententias, imprudentis verò proprium eſt eaſdem reſpuere: *Vbi ſignificat ſapientiam non ſolum oriri ex conſilio, ſed etiam ad conſilium requiri: ſicut enim ſtultus ſine conſilio præceps fertur, ita ſapiens nonniſi maturo conſilio præmiſſo operatur.* Jacob ex quo executus fuit ſuggeſtum ſibi à matre conſilium, primogenituram ſibi comparavit, omniumque paternarum divitiarum hæres declaratus fuit. David conſilium Jonathæ proſequendo, à morte ereptus, & diadema Regni adeptus fuit. Heſther Mardochæi conſilia amplexata ex ancilla ad Reginæ dignitatem evecta fuit: *Quam ad regimen aptus, qui promptus eſt ad bona conſilia capeſſenda!* concludit quidam Modernus.

Paul. Marnap. in Cant. Veſt. 8. c. 1. v. 6. ſect. 3.
Prov. 8.
Proverb. 12.
Mendoza l. 2. lib. 1. Reg. cap. 1. v. 10.
Gen. 27.
1. Reg. 19.
Eſther 2.
Anton. de Eſcobar. tom. 1. lib. 6. cap. 2. obſerv. 24. ſect. 2.

10. Verum enimverò dicat forſitan aliquis: Quo fine aliorum ſententias & judicia auſcultabit, qui jam apud ſemetipſum de rebus faciendis prudenter ſatis eſt determinatus? Mutare ſententiam, eamque non complere, ſignum eſt leviculi hominis, qui inſtar folii eſt volubilis. Aſt verò ex nunc tibi oſtendam omninò contrarium; communè etenim Proverbium eſt: *Sapientis eſt mutare conſilium*, maximè ex malo in bonum, & ex bono in melius. Celebrabantur in Cana Galileæ nuptiæ ad quas inter alios primores ſimul convenerunt Chriſtus Domi-

nus noſter cum ſanctiſſima matre ſua. Accidit autem, ut præter opinionem in iis nuptiis vinum deficeret, unde omnes convivæ non parum confuſi & mortificati fuere. Porrò pientiſſima Deipara defectum hunc confeſtim advertens, filium ut occurrenti neceſſitati ſuccurrere velit piè precatur: *Fili, vinum non habent.* Cui ille reſpondit: *Quid mihi & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea*, quaſi diceret: ſi defecit vinum de hoc is curet, quem præſentes nuptiæ concernunt, verum quidem quod per miraculum quoddam vinum ſubitò curare poſſem, veruntamen patrandorum miraculorum tempus nondum advenit: *Nondum venit hora mea*; Quæ verba à Dionyſio Carthuſiano hunc in modum exponuntur: *Id eſt, adhuc non eſt tempus faciendi miraculum mutationis aquæ in vinum, ſeu alio modo ſupernaturaliter providendi de vino ſufficienti.* Nec non & Cardinalis Toletus: *Nondum venit hora mea, in qua ſecundùm meam æternam diſpoſitionem hoc opus facere decrevi.* Verum quod ſi miraculum facere recuſat, eo quod nondum venerit hora, in qua illud facere decrevit, cur igitur poſtea tanquam homo ſententiam revocat, & hydrias aqua repletas videns aquam in iiſdem in vinum tranſmutat? Quod ſi hora miraculum patrandi nondum advenerat, cur tandem in eademmet hora idipſum patrat? Miratus idipſum Modernus quidam, Dominum interrogat, dicens: *Si non venit hora, ô bone IESV, cur ſtatim facis?*

*Dionyſius Carthuſ. ibid. art. 7. Tolet. ibid. in com.*

*Didac. de Baeza T. 2 in Evang. lib. 11. cap. 1. §. 16.*

11. Veruntamen priuſquam ad hanc difficultatem reſpondeamus, alium quendam Scripturæ paſſum ponderemus. Cùm puer JESUS duodecimum attigiſſet ætatis annum à MARIA & JOSEPHO perductus eſt in Jeruſalem, quando ſecundùm conſuetudinem diei feſti eo ipſis eundum erat; In via autem in multitudine hominum eundem amantiſſimum filium ſuum amiſerunt, quem tandem ſumma cum induſtria ac ſollicitudine conquiſitum poſt triduum in templo inter Doctores invenerunt diſputantem, tantaque olim doctrina & ſapientia reſpondentem, ut in ſtuporem raperet cunctos ſapientiſſimos Synagogæ Hieroſolymitanæ Rabbinos. Porrò mox ut MARIA ſolem illum videt, qui afflictionum triduanarum tenebras à pectore ſuo diſſipabat, redeunte in vultum ejus priſtina ſerenitate protinus conſolationem cordis ſui ſenſit; cumque cauſam ex eo ſciſcitata fuiſſet, cur tanto parentes ſuos mœrore affeciſſet: *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te:* Filius confeſtim reſpondit: *Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et ſubitò è ſede ſua conſurgens relictis in templo Doctoribus, ſimul cum JOSEPHO & matre ſua diſceſſit, atque in Nazareth denuò rediit: *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Verum enimverò ô Domine, condeſcende non nihil curioſitati meæ, quid eſt, quod ex quo Patris tui negotia diſputando & docendo tractare decreveras, nunc viſis parentibus à cœpto opere deſiſtas? cur mentem tuam mutas atque retractas, dum patris negotiis poſthabitis, matrem tuam in Nazareth redeuntem conſectaris! *Et deſcendit cum eis.* Factum eſt hoc haud dubiè, ô Auditores, eo fine, ut à Salvatore noſtro diſcamus, quod in concepta opinione atque propoſito noſtro pertinaces & inflexibiles minimè eſſe debeamus, quin potius aliorum ſalutaria conſilia libenter & attentè auſcultemus, noſtrumque propoſitum haud gravatè, pro ratione temporis & occaſionis id à nobis expoſcentis mutemus. Audite ſanctum & mellifluum Doctorem Bernardum hac de re hiſce verbis diſſerentem: *Quis jàm non erubeſcat obſtinatus eſſe in conſilio ſuo, quando ſuum ſapientia deſeruit? ſic mutavit conſilium ſuum, ut quod jam tunc cœperat, ex tunc uſque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum prorſus dimiſerit.* Porrò Chriſti propoſitum bonum erat, atque perfectum, ſiquidem ea facere ſtatuerat, quæ Patris erant, & tamen ob effuſas matris ſuæ lachrymas & preces confeſtim idipſum mutavit, ad ejuſdem fere modum, quo licet in nuptiis Canæ in Galilæa nullum patrare miraculum ſtatuiſſet, ſecus tamen ſuadente tempore & occaſione, & audita ſollicitatione matris dicentis ei: *Fili, vinum non habent*, opportunum fore exiſtimavit ſi aquam in vinum commutaret, tametſi *non veniſſet hora ejus.* Unde Didacus Modernus quidam ait: *Crediderim velle miraculum longius differre, juxta quod conſilium & voluntatem præclarè dicebat: Nondum venit hora mea*; melius tamen ſe facturum eſſe cenſuit, ſi ad matris mentem propius accederet: *Sapientiſſimi enim, imò diviniſſimi hominis eſt novis attentis circumſtantiis nova variare conſilia.*

*Ioan. 2.*

12. Veriſſimum eſt quod conſiliarii eſſe debeant viri integerrimi, DEUM timentes, conſcientioſi & amatores virtutum, non verò dege-

rere illorum de quibus ſanctus Bernardinus Senenſis dicebat: *Cujus animam voluptates corrumpunt, libido devincit, avaritia ſubjugat, cupiditas perturbat*, à talibus enim nonniſi mala & ad proprium intereſſe ſpectantia conſilia exſpectari poſſunt: ſed potius eas in ſe conditiones debebit exprimere; de quibus ſupradictus Sanctus dicit: *Talis debet eſſe qui conſilium dat, ut ſeipſum formam aliis atque exemplum bonorum operum exhibeat, in doctrina, in integritate, ut ſit ejus ſermo ſalubris, atque irreprehenſibilis, conſilium utile, vita honeſta, ſententia decora.* Etenim ex ſuperius adducta ſancti Joannis viſione ſpeciales quaſdam habemus conditiones ad bonos conſiliarios requiſitas. Seniores enim illi veſtimentis candidis induti erant, caputque eorum coma argentea contectum corona aurea ambiebatur: *Circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Per quod Spiritus Sanctus demonſtrare nobis voluit, quod qui Principibus, Civitatibus, vel Rebuspublicis tanquam conſiliarii aſſiſtunt, veſte candida induti eſſe, id eſt, mentem puram & candidam habere debeant; in capite verò coronam geſtare auream, id eſt, capitis verticem charitate habere debeant ornatum, quæ utpote Regina virtutum aptè repreſentatur per aurum, quod Rex quidam eſt metallorum. Id quod in multis Principum conſiliariis valde deſideratur, qui mentem non habent puram & candidam, ſed paſſionibus valde contaminatam. Tales enim, quia Principem pecuniæ cupidum ſciunt, ut ejus ſibi favorem & gratiam adſciscant, ab eoque in numero ingenioſorum atque ſubtilium habeantur præ cæteris, diu noctuque modos, & rationes excogitant novas erigendi gabellas & contributiones, qualiter ex ſubditorum ſudoribus, pauperumque hominum viſceribus ingentes coacervare poſſint pecunias, unde in ſublimatorio ingenii ſui, ſubditorum ſudores diſtillant, ut inde eliciant argentum, & aurum, licet ipſi fame mori & interire cogantur. Hi tales quidem caput habent corona redimitum, non tamen aurea, quæ figura ſit charitatis, ſed plumbea, quæ gravat & onerat, efficiendo ut ſubditorum humeris nova ſemper onera imponantur, donec ſupprimantur totaliter, ut ne ſuſpirare quidem poſſint. Enimverò in quem finem peculium hoc adeò inique congregatum adhiberi & impendi exiſtimatis? Num fortè ad templum aliquod erigendum? vel ad puellarum dotes? vel ad hoſpitalium ampliores fundationes? Minimè, ſed (quod ſine ingenti dolore dici non poteſt) ad fovendas meretrices, ad ſtipendiandum Moriones, ad ludos, in quibus ſæpe una nocte prodigitur, quod per integri anni ſpatium laborioſe congregatur. O ſanguis pauperum quo vadis? quàm inutiliter impenderis? Hic eſt ſanguis ille, qui noſtris temporibus *clamat de terra*, adverſum conſiliarios. Principes quidem optima ſunt mente præditi, verum hi pauperum jurati hoſtes, & ſuiipſius amici eandem miſerè & turpiter contaminant. Ingentes proinde referamus cælo gratias, quod nos in Italia Principes ejuſcemodi non habeamus, iiſque compatiamur ſubditis, quorum humeri tantis premuntur gravaminibus atque oneribus, ut de terra ſe vix erigere poſſint. Id quod utique non fieret, ſi in iis regionibus, Provinciis vel regnis tales eſſent conſiliarii, qui DEI honorem, calamitoſaſque ſubditorum miſerias ob oculos haberent.

13. Regius Propheta David Pſalmum 119.
compoſuit, eique hunc titulum *Canticum gra-* *Pſal. 119.*
*duum* præfixit, per quod nimirum aſcenderetur
& deſcenderetur: *Graduum deſcendentium &* *D. Augu-*
*aſcendentium.* In hoc autem Pſalmo David inter *ſtin. ibid.*
alia dicit: *Domine libera animam meam à labiis* *fol. 37. &*
*iniquis, & à lingua doloſa*; quaſi diceret: Ex quo *Hugo Car-*
Rex ſum, aliorum imperio deſtinatus, aliam à te *dinalis.*
gratiam minimè expoſco, quam ut me à labiis iniquis, & à lingua doloſa eripias: At verò quænam ſunt hæc labia? vel qualis eſt lingua illa de qua loquitur? Forte de labiis inimicorum ſuorum agit, qui famam ejus miſere dilacerant? nunquid ipſemet ſuamet potentia & induſtria haſce à naribus ſuis abigere muſcas prævalet? Væ regno illi cujus Rex adeò ignavus eſt, ut malevolorum venenoſa labia obſerare, aut maledicis linguis imponere ſilentium non poſſit. Veruntamen, ô Auditores, non eſt hoc Regis noſtri, de quo loquitur, propoſitum; ſed in præcitatis verbis à malis conſiliariis liberari deſiderat: *Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa*; quaſi diceret, ut interpretatur quidam Modernus: *Me ab impio avoca conſiliario.* Quid autem, ô Rex invictiſſime, in malis conſiliariis ſiniſtri formidas? timeo ne mali conſiliarii in extrema me præcipitia proturbent; ſicut enim boni conſiliarii Principem ſuum ad DEUM aſcendere faciunt, ita mali omnia ſuſque deque evertunt, & in extremum exterminium adigunt: *Quid eſt lingua dolo-* *Idem ibid.*
*ſa*? interrogat idemmet Pater, *ſubdolam habens* *fol. 308.*

ima-

*imaginem conſulendi, & perniciem nocendi.* Peſſimorum namque conſiliariorum pravæ opiniones, optimos Principes excæcant, prouti frequenti docemur experientia.

14. Protomatrem noſtram infernalis ſerpens hiſce fere verbis adoriebatur: quis te timor coërcet; O Eva, quo hujuſce arboris fructus degustare prohibetis? Nulla aliarum arborum delicatos adeò fructus progignit, ſunt etenim meliores ex omnibus qui ſunt in Paradiſo. Num fortè id tibi difficile eſt credere? Experire obſecro. Forſitan DEUM hoſce fructus ſibimetipſi reſervaſſe dicis; at verò vel ex hoc ſolum facile tibi eſt colligere, fructus illos delicatiſſimos eſſe, utpotè ſoli DEI palato reſervatos. Num fortè DEUM hoſce fructus comedere credis? O te ſimplicem mulierem ſi id tibi perſuadeas. Porrò Deus ea ſolum de cauſa fructus hoſce à teguſtari vetuit, ut poſtea illos manducans, tanto ſint palato tuo gratiores; an etenim privationem appetitum generare ignoras? Id quod appetitur & deſideratur longe gratiſſimum eſt, cum deinceps obtinetur DEUS utique ſe ſuaque opera à te contemni & aſpernari exiſtimaret, ſi delicias ſuas, quas tui ſolius cauſa produxerat, aſpernateris. Certè ſi eoſdem in uſum & commodum meum creare dignatus fuiſſet, in deguſtandis illis non morarer, ſed non rogatus ultro citroque eoſdem apprehenderem. Num fortè tibi perſuades quod DEUS totius univerſi creator delicioſiſſimum fructum hunc ab hac arbore naſci fecerit, & poſtea nullius creaturæ uſui ipſum cedere velit? Equidem DEUM fructus hoſce nequaquam comedere, tu melius nôſti quam ego, ſignum itaque eſt quod tibi ſoli eundem reſervaverit. Præterea ſciendum tibi eſt, quod DEUS huic pomo virtutem dederit illuminandi cæcos, imbuendique homines ſcientia boni & mali. DEUS. autem qui in omni perfectionum genere perfectiſſimus eſt, nequaquam indiget, ut viſum & ſcientiam hanc ab arborum fructibus emendicet; ac proinde alterutrum mihi concedere debebis, nimirum quod vel DEUS hanc unicam arborem abſque ullo ſibi propoſito fine produxerit, quod in maximum cederet honoris ſui præjudicium, ſic enim imprudenter & ſtultè operatus fuiſſet: aut quod fructum iſtum pro tuo ore atque palato crearit, ut ſcilicet aperiantur tibi oculi tui, tibique inſeratur ſcientia perfecta boni & mali. Acquieſce igitur, ô ſimplex muliercula, huic meo conſilio, meiſque verbis fidem adhibe, mox enim ut pomum iſtud ſimul cum marito tuo deguſtaveris: *Aperientur oculi veſtri. Et eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Enimverò ſi hæc ſerpentis verba una mecum attentè examinaveritis, facile cognoſcetis, quantorum malorum author & cauſa ſit unicus Conſiliarius malus: Satis enim perſpicuum eſt, quod dæmon mendax ſit, & contrarium ſemper dicit ejus, quod vere eſt, & in hoc propriè conſiſtit mendacium: *Sicut tunc aliquis dicit verum, quando affirmat eſſe, quod eſt, & negat eſſe quod non eſt: ita tunc aliquis dicit falſum, quando affirmat eſſe quod non eſt, & quando negat eſſe quod eſt.* Quiſquis enim mendax eſt, voce ſua contrarium illius exprimit, quod revera eſt, vel futurum eſt. Unde ex quo ſerpens infernalis dicit: *Aperientur oculi veſtri*, omninò contrarium per id ſignificare credendus eſt, id eſt, claudentur oculi veſtri. *Eritis ſicut Dii*, id eſt, vos qui Dii quidam terreſtres eſtis, Deitatem veſtram amittetis: *Non ſolum ſicut Dii eſſe deſierunt, ſed etiam qui quaſi Dii erant, quibus dictum eſt: Ego dixi Dii eſtis, Dei gratiam perdiderunt*, inquit ſanctus Ambroſius, ſimiliter quando poſtea ſubjunxit: *Eritis ſcientes bonum & malum*, idem eſt, ac ſi diceret: amitteris ſcientiam boni & mali. Nunc igitur totum diabolici hujus conſiliarii ad protomatrem noſtram habitum ſermonem breviter recapitulemus, illius enim hæc fere eſt præcipua ſeries, quod ſi tu, ô Eva, una cum tuo marito conſilio meo adhæſeritis, cæci evaderis, terrenamque veſtram amitteris Deitatem, nec verum à falſo prudenter diſcernere poteritis. Id quod Rupertus Abbas Tuitienſis conſiderans ait: *In hoc caſu docemur, ut à malis conſiliis declinemus.*

15. Poſtquam tres Magi Magni Judæorum Regis in hunc mundum recens nati nuncium perceperunt, è ſuis regnis egreſſi, ad eum debitè honorandum opulenta ei munera, aurum ſcilicet, thus, & myrrham, obtulerunt. Quia verò nativitatis ſuæ locum ignorabant, ideo ne cæco quodam modo ambularent, DEUS lumen quoddam ad eos miſit, quo mentes eorum illuminabantur, & ſecurum illis iter commonſtrabatur, videlicet ſtellam quandam, quæ veluti viæ dux motu ſuo eos præcedebat. ſuoque lumine viam illis demonſtrabat: *Et ecce ſtella quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos.* Cùm verò Hieroſolymam uſque perveniſſent, mox ſtella diſparuit,

procul

prouti aſſerunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Paſchaſius, Doctor Angelicus, Carthuſianus, & alii. Verum enimverò cur ſtella hæc ſe Hieroſolymis videri non ſinit, cùm tamen ſtella hæc à civibus Hieroſolymitanis viſa in majorem Magorum excellentiam, nec non in majorem pueruli JESU gloriam utique cedere potuiſſet? Omninò exiſtimo ſtellam hanc diſparuiſſe eò quod tres Magi Hieroſolymis dubitantes, quonam vel qua via illis eundem eſſet, ut Chriſtum invenirent, à Civitatis incolis plenam hac de re informationem petierint, dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*, quaſi ſtella iis dicere voluiſſet: Siccine? Ergone cives Hieroſolymitanos quo ad viam, quæ ad noviter natum Regem recta ducit, in conſilium adhibetis? malos nimirum & novi Regis nati juratos inimicos? attendite quam inde utilitatem ſitis reportaturi. Mox enim ſtella ſe ſubducet, lumen ſcilicet cæleſte, quod mentem veſtram illuminabat, ſine quo impoſſibile vobis fuiſſet, vel unicum greſſum movere, qui ad Dominum recta vos duceret. Eſt hæc opinio ſancti & melliflui Eccleſiæ Doctoris Bernardi dicentis: *Hinc manifeſtè datur intelligi, quoniam humanum flagitantes conſilium, Divinum amiſerunt ducatum, & converſos ad terrenum documentum, ſignum cæleſte deſeruit.* Id quod à Strabone egregiè confirmatur, dum ait: *Dum à malignis humanum quæritur, vera illuminatio perditur.* Quid igitur conſilia agitantur cum impiis & malis conſiliariis, à quibus nil aliud quam malum reportari poſſumus?

16. Chriſtum Salvatorem noſtrum ultra mare Tiberiadis ingens quædam multitudo ſequebatur virorum ac mulierum, qui in ſumma fame Chriſtum integro triduo patienter ſuſtinuerant, cumque nulla ibi poſſet vitæ annona pecunia comparari, nil illis præter ſolam ſpem in Divinum ſubſidium ſupererat. Porrò Chriſtus ejuſque Diſcipuli hujus turbæ neceſſitati viſceroſiſſimè quidem compatiebantur, nec tamen habebant, undè illis ſubvenire poſſent, & licet Dominus noſter valde ſe anxium exhiberet, veluti ſi neſciret in quam partem ſe reſolvere deberet, ipſe tamen optime quid futurum eſſet præſciebat:
Ioan. 6. *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Tandem ad Philippum converſus de modo quo panis ad hanc multitudinem ſatiandam ſufficiens comparari poſſet, deliberavit: *Dicit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi?* Philippus autem humeros contrahens dicebat: ut verum fatear, O Domine, omne hic me conſilium deſerit, neque enim ullum excogitare poſſum medium, quo genti huic provideri poſſit; hæc etenim multitudo adeò eſt ingens, ut ducentorum denariorum panes ad eandem frugaliter reficiendam minimè ſufficerent, *ut unuſquiſque modicum quid accipiat.* Enimverò non video cauſam cur Philippum potiùs conſilii cauſa interroget dicendo: *unde ememus panes?* ſiquidem multi Doctores ſcribant, hunc diſcipulum idiotam fuiſſe & exigua experientia aut ſagacitate præditum, cur non potius Judam in conſilium advocat, qui marſupium ſive loculos habebat, ſciebatque quænam eſſent loculorum Apoſtolicorum in pecunia vires; adhæc cùm ageretur de emendo pane, juſtum erat ut Judas requireretur, hæc enim neceſſariorum emendorum cura Judam propriè tangebat, qui diſpenſator erat & Procurator, ac proinde S. Paſchaſius ait: *Domine quare à Iuda, hic habet marſupium.* Verum D. Paſchaſius. videor mihi Chriſtum audire reſpondentem: Abſit ut à Juda petam conſilium. Quale enim conſilium mihi daturus eſſet homo peſſimus & depravatæ voluntatis? Nolo igitur Judam habere conſiliarium, ipſe etenim alter quidam Caiphas eſt, bonos igitur mihi adſciſcere volo conſiliarios *Cor boni conſilii ſtatue tecum*, inquit Eccl. 37. Eccleſiaſticus, *cum viro Sancto aſſiduus eſto.* Sed quo fine? *à quo quærendum eſt conſilium*, reſpondet S. Bernardinus Senenſis. Communiter quotquot ſunt civitatum conſiliarii, ad nihil aliud reſpiciunt, quam ad proprium ſuum intereſſe & nihil minus ab iis curatur, quam publica utilitas. Hic officium aliquod prætendit, eo quod inſignem habeat redituum proviſionem. Ille inclinatur ad favorem erga cognatos, quia ab iiſdem bona præſtolatur munera; alius ad tale vel tale munus aſpirat, eo quod talis muneris officialis facultates publicas adminiſtrat, & bona ſe inde lucra comparaturum eſſe ſperat.

D. Bernardin. ſen. T. 2. Sabb. poſt Dom. 2. Quadr. ſ. 24. Arg. 20. f. 228.

17. Undè Eccleſiaſticus haſce inconvenientias prævidens prohibuit, ne quodvis genus hominum admittatur ad conſilia, ſed prius bene ſcrutentur & explorent ſtatum & qualitates ejus, qui ad ſenatum vel conſilium aſpirat: *A conſiliario ſerva animam tuam, prius ſcito quæ ſit ejus neceſſitas.* Vos ô Principes & rerum publicarum magiſtratus, quorum eſt in conſilia ſtatus Eccleſ. 37. veſtri adoptare vobis conſiliarios, cavete ne illi quos in ſenatores & conſiliarios veſtros deligitis, egeni ſint & inopes, quia hi nil aliud æquè induſtriè nituntur facere, quam ut ex ſubſtantiis & facultatibus publicis & miſerorum ſub-

ditorum, domos ſuas locupletare poſſint. O ſi mihi illos nominare liceret, integrum mox recitarem eorum catalogum bene longum, qui paulò ante ferè fame peribant, mox verò ut in cõſiliarios adoptati, quatuor in conſilio annos ſuperarant, palatia ſibi emunt & poſſeſſiones, vehuntur in rhedis ingenti ſervorum ſtipati caterva. Credentias habent argentea ſuppellectile refertiſſimas, & ſcrinia & armaria gemmis & auro plena aſſervant. Et unde hæ tantæ divitiæ illis proveniunt? num fortè cœlum illas in eorum ſinum depluit? ſanguis ſunt & ſudores pauperum ſubditorum. *Ideò primò conſidera qualis ſit conſiliarius, quam ei conſentias*, inquit Hugo Cardinalis; *ne fortè ſit terrenum ejus conſilium, & te per cupiditatem figat in terram, & ſuum conſilium confirmet pro terreno commodo.* Scio equidem dicturos vos eſſe, admodum difficilè eſſe, invenire conſiliarios ſinceros & integerrimos, in quibus non ſit aliquis nævus, aut defectus, ac proinde opus eſſe ut Principes ſe meliori quo poſſunt modo accommodent. Verùm ad id reſpondeo cum ſancto Bernardo Senenſi: *In agendis dubiis & arduis, ante operis inchoationem certitudo divinæ voluntatis inveſtiganda eſt.* Ita Iſraelitæ faciebant, quando neſcientibus ipſis qua ratione res ſuas moderarentur, ut inimicis ſuis reſiſtere poſſent, Joſaphat pro omnibus loquens ad Deum converſus ita dicebat: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Imò ipſimet quoque gentiles hanc politicam & mentis illuminationẽ habuiſſe videntur, ac proinde Cambyſes Rex, hoc filio ſuo documentum reliquit, ut ne greſſum quidem ſine cœleſti, id eſt, Deorum adhibito conſilio moveret: *Nihil vel publicis, vel privatis in rebus agas niſi ſacris peractis, Deorumque voluntatibus per auguria perſpectis, quod agendum eſt, quod non agendum exoptaret.* Athenienſes item in laudabili more poſitum habebant, quod in publicis eorum Parlamentis vel conſiliis præſentem ſemper haberent Sacerdotem aliquem, qui priuſquam negotiis ſuis manum admoveret, conſiliis ſuis cœli aſſiſtentiam genuflexus in terra imploraret. Similiter Romani poſtquam ſenatus ad ea negotia quæ bonum civitatis regimen ſpectabant, tractanda congregatus eſſet, ut ſcribit Alexander ab Alexandro ad Deos vel Deas ſuas quas publico cultu paſſim adorabant, ſuum habebant refugium, ut conſiliis ſuis aſſiſtere, & utiliter in iis determinanda inſpirare dignarentur. *Erat mos auſpicandorum comitiorum, ut cum præfatione Deorum Dearumque bonis fauſti, quæ omnibus ac Diis bene juvantibus, conſilia inirent.*

*Hugo Card. in cap. 37. Eccleſ.*

*D. Bern. Senenſis t. 3. ſer. 3. poſt diem Penthc. ſ. 3. c. 4.*

*Paralip. 2. c. 20.*

*Alex. ab*

18. Poſtquam filii Jacob ex Ægypto in Chanaan patriã ſuam reverſi eſſent, præterquã quod ſaccos ſecum ferebant frumentis benè onuſtos, cordibus quoque præ nimia lætitia geſtientibus, patri ſuo Joſephum fratrem ſuum etiamnum vivere, univerſæque Ægypto in qualitate Vice-Regis ampliſſimè dominari retulerunt: *Ioſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur in omni terra Ægypti.* Porrò lætum hoc nuntium pater læto quidem vultu accepit, ambiguus tamen & anceps hærebat, an famæ huic tuto fidem adhibere poſſet; veruntamen dum à filiis Joſephi majeſtas minutim per varias circumſtantias deſcriberetur, videretque currum, quem ad eum in Ægyptum perducendum iis donaverat, aliaque præclara munera, quibus eos donarat, cunctis quæ referebantur fidem plenum adhibuit, revixitque in eo ſpiritus ejus, ſeque confeſtim ut eum in Ægypto præſentem ſalutaret, ad iter ineundum diſpoſuit: *Vadam & videbo illum antequam moriar.* Univerſam igitur familiam ſuam in bonum itineris ineundi ordinem redactam, omnibus quæ in via iis neceſſaria futura erant abundè inſtruxit, ac paulatim ex Chanaan in Ægyptum proceſſit. Poſtquam verò ad locum quendam qui Puteus juramenti dicebatur, perveniſſent: *Venit ad puteum juramenti*, Ibidem ſubſtitit, & ſacrificium Deo pro felicibus itineri ſuo impetrandis auſpiciis immolavit, qui Jacobo Patriarchæ nocturno tempore in viſione apparuit, eumque ad ſe accerſitum monuit, ut omni metu cujuſvis mali ſepoſito cœptum iter proſequeretur: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui; Noli timere, deſcende in Ægyptum. Noli timere! Cur timeat Sanctus hic Patriarcha, qui lætus & hilaris ad videndum filium quem tenerè ſemper dilexerat, procedebat? Num fortè dubitare poterat an filio ſuo inviſus futurus eſſet? aut adventum ſuum eidem minimè gratum futurum? vel quod venerandam ſuam canitiem non cum illa reverentia quæ illi debebatur honoraret & exciperet? Minimè gentium: ſiquidem Joſeph magno tenebatur patrem ſuum revidendi deſiderio, ac proinde fratribus ſuis dixerat: *Nuntiate patri meo univerſam gloriam, & cuncta quæ vidiſtis in Ægypto, feſtinate, & adducite eum ad me.* Num fortè ſiniſtrum aliquem, qui ei in via occurrere potuiſſet formidabat eventum? Dicam breviter quid hac in re ſentiam: Exiſtimo igitur Sanctum hunc ſenecionem

cionem in via conſtitutum hunc in modum ſecum fuiſſe ratiocinatum : Quonam me temeratiæ & male conſultæ cogitationes abripiunt? Quonam me impulſus voluntatis meæ impellunt ? quando in juvenili adhuc ætate conſtitutus eram, nullam unquam actionem aggreſſus ſum, quin prius de faciendis Dominum conſuluiſſem nunc autem decrepitus ſenex exiſtens inconſulto Deo, ex privati judicii mei dictamine actiones meas inſtituto ; dum huic me laborioſo itineri non requiſito cœli arbitrio accingere non dubitavi, atque ideò haud immeritò malam mihi fortunam aliquam in hoc itinere forte occurrentem timendam eſſe cenſeo : Abſit igitur ut greſſum ulterius moveam, malo enim in tota vita mea filium meum nunquam videre quam ulteriores greſſus ſine adhibito Dei conſilio moliri : *Olim nihil egi inconſulto Numine, nunc me ſolum tanti itineris ducem ſequor.* Tumuit igitur Sanctus Patriarcha, & quidem timor ille adeò ingens erat, ut opus fuerit; quod Deus illum animaret & confortaret, dicendo illi : *Noli timere, deſcende in Ægyptum.* Hunc autem timorem ex cauſa jam dicta enatum fuiſſe confirmat P. Franciſcus Mendoza, dum ait. *Timuit profectò quod Deum prius non conſuluerit.*

19. Hinc igitur unuſquiſque diſcat, deinceps nulli negotio arduo aut quod gravis momenti ſit, admovere, niſi prius Deum requiſierit, ut divinis inſpirationibus nos de ſingulis ritè faciendis illuminare & dirigere velit. Dum autem ipſum facere negligimus, vel contrarium illius agimus, nil mirum eſt, ſi cœpti conatus noſtri infelicem exitum habeant, atque de malo in pejus ruant. Illa eſt prô dolor hominum hujuſce temporis temeritas, ut iter aliquod arduum aggreſſuri non jam Eccleſiam viſitent, ibidemque DEUM pro felici itineris auſpicio devotè invocent, ſed potius popinas & culinas frequentent, ibidemque amicis ſuis valedicturi crapulis & commeſſationibus vacent. Vel ſi alicui ineundum ſit matrimonium, non DEUM, ſed proprium judicium & animi libidinem, vel quam à Sponſa dotem expectant in conſilium adhibeant, haud ſecus ac ſi DEUM nihili faciant, atque ideò ſæpenumero contingit, quod multa poſtea conjugio alligati ærumnarum & adverſitatum genera experiri cogantur, dum utrimque allatæ dotes paulatim evaneſcunt, contrahuntur debita, pro quorum ſolutione divenduntur veſtes aliaque domus ſuppellex, oppignorantur conjugis pretioſa monilia, unde tanta inter utrumque conjugem poſtea naſcitur diſcordia, ut ne unius quidem horulæ gaudium experiri poſſint. Denique ſi filii tui profeſſioni alicui ſpeculativæ vel practicæ applicandi ſint, cum proprio intereſſe tuo mox conſiliaris nulla habita Dei memoria aut recordatione, deliberas enim de modo quo ita applicari poſſint, ut tandem fulcrum aliquod domus tuæ evadant, tibique deinceps in ſenectute auxilio & præſidio eſſe poſſint, quaſi tuæ determinationes nullo prorſus indigeant divino præſidio, atque ideò frequenter accidit, ut omnia longè ſecus eveniant, ac tibi propoſita fuerant Opportunè Deus de talibus per os Iſaiæ Prophetæ lamentatur, omniaque dira iiſdem comminatur, dum ait : *Va filii deſertores dicit Dominus, ut faceretis conſilium & non ex me, & ordiremini telam & non per ſpiritum meum, & os meum non interrogaſtis.* Vos proinde Deus videre faciet, quàm ſint conſilia veſtra vana atque fallacia. Ochozias neglecto Deo vivo & vero Iſraelis, ad Deum Accaron confugit : *Ite conſulite Beelzebub Deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac?* O inanis cerebri Regem, qui ſpreto vero Deo, ſua cum Idolo conſilia confert ! *Quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſet interrogare ſermonem.* Scito igitur quænam ob id te manent ſupplicia : *Ideò de lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* O quot hodie reperiuntur Ochoziæ veri imitatores. Etenim frequenter accicidit, ut unus alterum ſuum amicum conſulat dicens, ſunt mihi cum tali irreconciliabiles inimicitiæ, quid tibi videtur, faceremne bene, ſi vitæ illius inſidiando eundemque occidendo de medio tollerem : cui mox alter applaudit dicendo: benedictæ erunt manus tuæ, ſi idipſum feceris, quid hic alud facit, quàm quod Deum Accaron conſulat: *Ideò de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes.* Deus etenim infirmitatē quādam tibi immitit, per quam per annum integrū lecto affigaris. Eſt alius qui dicit: Paſſus ſum à quodam æmulorum meorum gravem injuriam, me etenim in honore & fama nec non & in facultatibus meis enormiter læſit, decretum eſt mihi vices illi reciprocas reddere quoad vixero, ſine ullis pacis induciis, cui alter mox ſtimulos addit, utique ſi id facias magnā tibi in tota civitate laudem comparabis; ſic enim ipſum tibi per initam pacem reconciliare niteteris, ad hoc te per ignavum timorem exſtimulari univerſi dicerent. O infe-

*Iſaia 30.*

*Reg. 3.*

te infelicem, nunquid claré vides, quod Deum Accaron in conſilium adhibeas: *Quaſi non eſſet Deus in Iſraël?* Ne dubites quin Deus paulatim hanc tibi infidelitatem atque perfidiam pro meritis debité rependet: *Ideò de lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes.* Ego (inquit alius quidam) jam à multis annis peſſimæ cuidam ſocietati implicitus fui, & ſatis evidenter video, quod multum inde lædam ſanitatem, honorem, & fortunam, imò quod præcipuum eſt, conſcientiam & animam meam; ac proinde tali ſocietati nuntium remittere eique valedicere quodammodo decrevi, quid tibi in hac re faciendum mihi eſſe videtur? Reſpondet alter, ſtulté facies, ſi propoſitum iſtud ſeriò executurus fueris: Quæ enim ex ejuſmodi ſocietate percipiuntur voluptates, juventuti propriæ ſunt, maximeque eidem conveniunt pro fallendo tempore, niſi enim in juventute iis operam dederis, in ſenectute earum copiam nunquam, quantumvis velles, habebis, atque ideò ætati & tempori indulgeas, & ſecundùm genium tuum vivas, nihili faciens, quicquid alii de te dixerint. O te ſtultum, qui Deum Accaron & non Deum verum in conſilium admittit! ſed quid tandem tibi eveniet? *Va filii deſertores, ut faceretis conſilium & non ex me,* Deus infirmitatem irremediabilem tibi immittit in qua contabeſcas: *Et de lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Non dicit ſimpliciter *morieris,* ſed *morte morieris,* id eſt, duplici morte corporis & animæ. Ac proinde conſulo ac ſuadeo vobis, ut priuſquam negotia veſtra ardua aggrediamini, eos qui probitate & ſapientia præditi ſunt, in conſilium adhibeatis. Et quidem cum Deo conſilium inire ſecuriſſimum eſt, ſic enim omne aberit erroris periculum. Equidem tameſi ad conſilia ſua ſuggerenda ineptus ſim & idoneus: attamen ſuadeo vobis ut hoc meum admittatis conſilium, quo vobis omnem poſſibilem pauperibus exhibere charitatem ſuadeo, nec tantùm ſuadeo, ſed & ſupplico & obteſtor. Facite Eleemoſynam.

## PARS SECUNDA.

20. E*Xpedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Ita Caiphas opinabatur. O quale conſilium ab homine, qui ſibi ſapiens eſſe videbatur, emanavit? Omnes alios velut imprudentes & inexpertos deſpicit & contemnit, dicens: *vos neſcitis quidquam;* & ipſe ſe

Dion.

magis ignorantem eſſe manifeſtè probat: *Conſilium huius Pontificis ſimpliciter fuit erroneum.* inquit Dionyſius Carthuſianus: Suadebat enim facere malum, ut inde bonum eveniret, quitanquã ignorans neſciebat, quod *Non ſunt facienda mala, ut inde veniant bona.* Etenim ubi & ex qua lege didicit, quod ad hoc ut quis ſe omni periculo eximat, licitum ſit innocenti mortem inferre? Optimè de Caipha, aliiſque malis conſiliariis verificatur: *Cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire;* quæ verba à Sancto Athanaſio ita explicantur: *Cogitaverunt conſilia maligna, ut nomen Chriſti delerent de terra, quæ tamen non potuerunt ſtabilire, quia non eſt conſilium contra Dominum.* Suaſerunt & decreverunt Filio Dei necem parare, timentes ne Romani bella ipſis intentantes, civitatem & Regnum potentia ſua ſibi raperent, ſed Deus ita diſpoſuit, ut propter illatam Filio Dei crudelem mortem Romani civitatem ipſorum funditus everterint, eoſque veluti mancipia in perpetuam quandam ſervitutem redegerint: *Hoc cogitaverunt & erraverunt, quia impediti ſunt in conſiliis ſuis, etenim hoc ipſo amiſerunt regnum, & gentem, quia Chriſtum occiderunt:* inquit Hugo Cardinalis. Similiter Dionyſius Carthuſianus ait: *Ideò Ieſum occiderunt, ne à Romanis vaſtarentur, ſed ideò ſunt vaſtati quoniam Ieſum occiderunt.* Hic tandem eſt exitus, quem habere ſolent negotia per ejuſmodi conſiliarios Caiphaſiſtas directa. *Homo proponit, & Deus diſponit,* Et quidem alio modo Deus in cœlo diſponit, quàm ſibi homo in terra propoſuerit.

21. Opportunè hic mihi incidit ſimilitudo illa ſive parabola divitis illius à Salvatore noſtro corã Hebræis adducta Erat certus quidam homo in omnibus fortunæ bonis locupletiſſimus, qui dum anno quodam admodum fertili & fœcundo ingentes in grano, vino, oleo, aliiſque fructibus congregaſſet divitias, videns locum ſibi deeſſe in quem meſſem & autumnum adeò liberalem & munificum reconderet, totus anxius per palatium ſuum quaquaverſum diſcurrit: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Tandem granaria ſua ampliare & in ea in plurimos annos ſufficientem vitæ annonam congregare, & ſuos deinde vitæ annos, depoſita omni cura animique anxietate in lætitia, & gaudio tranſigere decrevit: *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede bibe, epulare.* Quaſi diceret, Anima mea centum hoſ-

hoſce vitæ meæ reliquos annos in Apolline reſidere ſtatui, Nemo mihi de laboribus aut curis loquatur, multa etenim bona poſſideo poſita in annos plurimos, requieſcamus igitur, omnibuſque deliciis quas excogitare poſſumus, operam demus: Menſæ noſtræ continuò videbuntur ad accumbendum paratæ, in iiſque quicquid lautitiei in vino aut cibis inveniri poterit, copiosè apponetur: finis cœnarum noſtrarum ſomni noſtri initium erit, omnes à mente noſtra curas excludemus, ne animũ noſtrum moleſtando quietem nocturnam perturbent; mane nil faciemus aliud, quàm ut de lecto nos recipiamus ad menſam, pro fallendo quoque totius diei tempore recreationes variæ & perjucundæ non deerunt. Ad hanc igitur felicem vitam ego te ô anima, invito, perfruemur ſimul & pariter bonis fortunæ & longitudine vitæ. Verùm, ô infelix! Conſilia tua excluſo Deo determinaſti, atque ideò omnia evaneſcent, nil minus etenim eveniet, quàm quæ tibi perſuaſeras, invenies profectò te arces fabricaſſe in aere. Tu etenim diuturnam & felicem vitam tranſigere decreveras, ſed ecce aliter circa te Deus diſpoſuit, hac etenim nocte vitam tuam claudes, tuaſque facultates & ſubſtantias poſſidebunt alii: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autẽ paraſti, cujus erunt?* Stultus quidem appellatur: *Stulte*, quia ſtultus eſt quisquis ſine Deo conſilia agitat, neque enim conſilia noſtra ſine diſpoſitionibus cœli ulla ratione ſubſiſtunt: *Eadem nocte ſublatus eſt* (inquit beatus Gregorius Papa) *qui multa tempora ſuerat proſpectus, ut qui in longum ſibi temporalia congregavit, unum diem ſequentem nequaquam videret.* O quot dives iſte hoc tempore ſui imitatores habet, qui conſilia ſua claudunt & finiunt conſilio Deo nequaquam requiſito aut admiſſo? Sic enim ex quo hoc anno agri ob faventem auram copioſam meſſem promittunt, quot Chymæræ cogitationum ſtultarum mentem tuam pertranſeunt & occupant? volo tale mihi coemere prædium, jamque venditorem ſubarrhatione præveni & obligavi, vel volo ædificare mihi magnificum palatium, cujus jam de facto jacta ſunt fundamenta, volo deſponſare filiam meam ſponſo, qui de facto eam procatur, juveni ditiſſimo. Veruntamen quia homo proponit, & Deus diſponit, ideò permiſſione divina de cœlo ventus quidam exſuſcitatur, qui ſementem adurit, vel nebula quædam ſubnaſcitur, & vineas devaſtat, vel grando de cœlo labitur, omnemque ſpem tuam anhilat: ſuperaccedit tandem ultima mors, & omnia conſilia tua diſſipat, te pariter & filios tuos ex hac vita abripiendo.

22. Nobis ex millenis capitibus apprimè neceſſum eſt in id ſollicitè conniti, ut Cæſaris gratiam ſemper & conſtanter nobis conſervemus (ita ad invicem adverſus Chriſtum conſilia agitantes, diſſerebant Hebræi) atque ideò quia facilè accidere poſſet, quod ſi Chriſti tot ſigna quotidie facientis ſtatum & conditionem diſſimulemus; iniquo id animo Cæſar acciperet, adeoque periclitaremur & Romanorum gratia & Cæſaris amicitia, ideò negotium iſtud maturum à nobis conſilium & deliberationem expoſcit. Quis ſcit an non ob noſtram negligentiam ad iracundiam provocandi ac tandem arma adverſum nos apprehenſuri ſint? Noſtra diſſimulatio magnarum diſcordiarum cauſa & origo eſſe poſſet, quæ tandem ſolo ſanguine placari, aut per mortem noſtram tantùm detriumphari poſſent; atque ideò Pilato dixerunt: *Si dimittis eum ſic, non eſt amicus Cæſaris: venient Romani & tollent noſtrum locum & gentem.* Joannis decimonono. Unde tùm ad hæc pericula evitanda, tùm etiam ne Romanorum arma in ſua viſcera provocent, tandem in conſilio ſuo concludunt innocentis mortem urgendam eſſe: *Expedit ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat;* ſuaque peſſimè determinata conſulta tandem executioni demandarunt. At verò quia *homo proponit, & Deus diſponit*, ecce conſilium & decreta illius omninò contrarium ab eo quem intenderant, ſortiuntur eventum, ſiquidem Cæſaris imprimis amittunt amicitiam & gratiam, rumpuntur inter ipſos & Romanos diu ſolideque contracta fœdera, bellum in illos urgetur atrox & crudele, inimicorum ſuorum efficiuntur mancipia, tandemque ſerius licet, adverterunt Deum omninò diſpoſuiſſe contrarium illius quod mali cum Caipha conſiliarii in conſilio ſuo determinarant. Unde Euthym. in cap. 11. Joan ait: *Prætextum ſumpſerunt occidendi Chriſtum, ne à Romanis internecioni traderentur: quia verè occiderunt, internecioni traditi ſunt, & quæ fecerunt, ut effugerent, ea quæ fecerunt, non effugerunt.*

23. Non multum id abſimile eſt conſilio hodierno, quod inter ſe agitarunt vinitores vineæ illius, quàm in hodierno Evangelio Filius Dei in parabola quadam hunc in modum Phariſæis propoſuit. Poſtquam enim quidam Paterfamilias plantaſſet vineam, eandem nonnullis agricolis cultivandam & cuſtodiendam commiſit: *Homo quidam plantavit vineam, & locavit eam agricolis.* Matth. vigeſimoprimo. Tẽpore meſſis

autem famulos ſuos ex parte ſua miſit, qui rerum ſuarum ſatagerent, at verò non ſolum iiſdem debitos dare renuerunt fructus, verum etiam miſſos ab hero famulos crudeliter occiderunt (id quod ruſticorum proprium eſſe videtur, cùm enim nec conſcientiæ, nec animæ curam habeant, omnia ſibi induſtriè coacervare, Dominumque ſuum extinctum videre deſiderant, neque enim avidior & inſatiabilior gens in toto poteſt mundo reperiri.) Dominus autem ſive Paterfamilias auditis hiſce eorum inſolentiis, ne quicquam alterationis aut paſſionis prædominantis paſſus eſt, ſed confeſtim novos ad illos ſervos ſubmiſit, quos eodem prorſus modo tractarunt, nam *Alterum occiderunt, alium ceciderunt, alium verò lapidaverunt.* Matth. 21. Tandem verò proprium filium ſuum miſit, futurum ſperans, ut aliquem illi reſpectum & reverentiam deferrent: *Verebuntur filium meum.* Et quid illos audito Domini ſui adventu feciſſe exiſtimatis? Avidi non ſolum retinendorum fructuum, verum etiam potiundi vineæ Domini, de rebus faciendis mutua inter ſeſe contulerunt conſilia, ac tandem illum quoque adoriri, & palis atque ligonibus ſuis occidere decreverunt, prouti reipſa quoque factum eſt. O generationem peſſimam, cupidam, ingratam, ignorantem, iniquam, & inſolentem! Ergone poſſibile eſt, quod ſervus eo veſaniæ adduci poſſit, ut Domino ſuo mortem machinetur, ad hoc ut fructuum & vineæ poſſeſſionem ſubingredi poſſit. Quid dici vel audiri crudelius poteſt? *Hic eſt hæres & occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.* Veruntamen conſilia ipſorum fuerunt ſicut pulvis in ventum deportatus quia Dominus noſter longè aliter diſpoſuit quàm ipſi ſibi propoſuerant & determinaverant: *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis.* In conſilio ſuo ipſi totius vineæ dominium ſibi acquirere decreverant, Dominus autem diſpoſuit, ut nihil penitus haberent aut acciperent, prouti experientia in ipſomet effectu demonſtravit. Ita ſanctus Pater noſter Auguſtinus ſermone quinquageſimo nono de verbis Domini obſervat, dum ait: *In contrarium eis vertit malum conſilium; ut poſſiderent, occiderunt, & quia occiderunt, perdiderunt.*

24: Dum Rex Saul in montibus Gelboe moreretur, certus quidam Amalechita hanc ſibi mortem lucroſam reddere, inſigni quodam excogitato conſilio decreverat. Ita enim intra ſemetipſum conſiliabatur, ſcio quod Saul juratus ſemper fuerit Davidis Regis inimicus, unde optimè me facturum arbitror, ſi Saulem hac mea dextera occiſum eſſe dixero, & in ſignum veritatis ſcutum Saulis, & hoc ejus regium diadema monſtravero, ſic enim infallibiliter ejus mihi lucrabor gratiam, & inſuper bona me remuneratione honorabit: Deus autem aliter diſpoſuit, mirum ut loco gratiæ indignationem ſibi regiam, & loco remunerationis mortem ſibi adſciſceret, ſiquidem David audito triſti nuncio de occiſo Saule, uni miniſtrorum ſuorum præcepit, ut ſtricto mucrone cor illius transfigeret: *Vocansque David unum de pueris ſuis, ait: Accedens irrue in eum, qui percuſſit illum & mortuus eſt.* Aman ſimiliter in animo ſuo ſtatuerat Mardochæum patibulo furcæ adjudicare; ècontra verò cœlum eundem Aman in patibulo Mardochæo præparato affigendum eſſe decreverat. Pharao quoque totam Hebræorum progeniem funditus extirpare ſtatuerat, ac proinde legem quandam condidit, ut quotquot Hebræis naſcebantur maſculi, in ipſa nativitatis hora occiderentur: Deus autem ècontra decreverat, ut Moyſes unus ex maſculis Hebræis recens natis in ejus aula regia educaretur & adoleſceret, & ſtirps Hebræa magis magiſque indies multiplicaretur: *Quem Rex perſequitur ad mortem, illum Dominus per filiam nutriendum deſtinat* (inquit Lipomanus) *ſic ſolent ſtudia impiorum, velint, nolint, converti contra quàm intendunt.* Denique filii Jacob dum inter ſe, quidnam ipſis de Joſeph fratre ſuo faciendum eſſet deliberarunt, ne omina ſomniorum ſuorum realem in ipſo ſortirentur effectum; ac tandem poſt multas variaſque ultrò citroq; inter ſe collatas opiniones & cogitata conſilia optimè ſe facturos eſſe ſunt arbitrati, ſi Iſmaelitis eum venderent: *Venundemus Iſmaelitis:* Geneſis trigeſimoſeptimo. Deus autem diſpoſuit, ut ſomnia Joſephi verificarentur, imò per eandem viam, per quam ipſi ejus ſublimationem & excellentiam impedire decreverant, Deus opportuna invenit remedia ad eum evehendum; Ita affirmat ſanctus Gregorius in caput quintum Job, libro ſexto moralium, capite duodecimo: *Timuerunt ne Ioſeph ſuper eos excreſceret, ſed hoc quod divinitus diſpoſitum fuerat, cavendo factum eſt ut eveniret.*

25 Ad idem propoſitum pro clauſula præſentis diſcurſus quandam recenſebo hiſtoriam. Potens quidam mundi Monarcha nonnullos è Principibus ſuis ad cœnam ſuam invitaverat. Qua occaſione Filius jam dicti Monarchæ ſatis malignus abuti volens, decreverat omnes invitatos

Præ-

Principes propinato veneno extinguere, ut tanto facilius & abſque ullo impedimento, deſtinatos ſibi fines aſſequi poſſet. Ad locuū igitur convivii quatuor pocula vini veneno intoxicati præmiſit, cujus rei nullus præter ipſummet filiū Monarchæ conſcius erat, ipſique portatori ſerio ne pocula illa ulli hominum d.iet, præcepit, donec ipſe præſens eadem acciperet. Adveniente autem vino hoc, Monarcha pater ejus, qui præſens aderat ſiti accenſus, venenatis hiſce poculis, manum admovit, & bibit; Interim verò ſuper-ait & filius, qui & ipſe pariter de eodem vino bibit: mox verò ut toxicum operari in utriuſque cœpit, adhibita ſunt remedia, at verò quia pater ſeptuageſimum primum ætatis annum habebat, intra pauculas horas mortnus eſt: Filius autem præter remedia à juventutis vigore adjutus, ægre mortem evaſit. Conſiderate obſecro, an non in hoc facto verificatum ſit quicquid hactenus hoc ſermone dixi. Propoſuerat Filius Magnatis illius, aliquos à patre ad menſam invitatos Principes intoxicare: Deus autem ſecus diſpoſuit, nimirum ut venenum, quod aliis præparaverat, patri ſuo & ſibimetpſi noceret. Adhæc nihil mihi dicendū reſtat, niſi ut tria præcipuè puncta ex hoc diſcurſu memoriæ veſtræ firmiter infigatis, nimirum ut non ſitis nimis in proprio judicio & ſententia pertinaces, ſed multorum libenter auſcultetis conſilia. Secundò ut in conſiliis veſtris non ſitis Caiphaſiſtæ, ſed conſiliarii boni. Tertiò ut bene attendatis ad ea quæ in conſiliis veſtris decernitis, Deus enim aliter ſemper diſponet, quàm vobis propoſueritis, ſi propoſitum veſtrum malum & pernicioſum fuerit.

---

## SERMO XXXIV.

# DOMINICA PALMARUM.

*Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Matth. cap. 21.

1. MUltæ ſunt conditiones & virtutes morales, quæ in Rege aliquo, vel quovis alio Principe, velut in propria ſphæra ſuam habere debent activitatem. Et quidem juſtitia inter omnes alias primas ſibi honores vendicat, non ſolum quia *Eſt virtutum præclariſſima*, ut docet Ariſtoteles: vel *conſtans & perpetua vol•ntas jus unicuique tribuens pro dignitate cujuſque* juxta doctrinam Romanæ eloquentiæ: verumetiam quia ex mente Macrobii mater eſt innocentiæ, ſoror æquitatis, ſocia concordiæ, virtutis amica, gubernatrix mundi, & Dei miniſtra. Unde à Polo Pythagorico nominatur *Mater & nutrix cæterarum virtutum, nam ſine illa neque prudentē, neque temperantem, neque fortem eſſe quemquam fieri contingit.* Et Trajanus Imperator, ut Nicephorus ait, dum præfecto Romano enſem ſuū porrigeret, dixiſſe fertur: *Cape ferrum hoc, ſi rectè imperium geſſero, pro me, ſi aliter contra me utere.* (lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 23.) Et Cleon Reipublicæ caput factus confœderatis ſuis dixit, ut ſe haud ſecus, ac ſi eum nunquam noviſſent, reſpicerent, *quia ſolent amicitia recta ſubvertere.* Artaxerxes triginta ſcutorum millia cuidam aulico ſuo liberaliter donare, quam rectitudini juſtitiæ præjudicando ob ejns intuitū gratiam quandam indulgere maluit: *Accipe, nam cum hoc tibi dedero, non ero pauperior, injuſtior quidem futuru•, ſi illa, quæ petebas, feciſſem.* (Aul. Gell. li. Noct. att. cap. 3.) Etenim quiſquis Principum illam inviolnbilē conſervaverit, in mente poſteriorum, nec non in Dei gratia immortalis vivet: *Vir ſi fuerit juſtus & fecerit judicium, vita vivet.* Ezechielis decimooctavo. Unde Propheta Regius David Pſalmo 71.

Juſti-